

memoria, dabo: C. testa cordata, angulata (alba) valvulis angulatis longitudinaliter abrupte sulcatis lævibus, plica ad nates conchæformi testam connectente. Nates an distantes an approximati non recordor. Ceterum magnitudine et statura accedit cardio medio. Plica non est monstrosa quod symmetria et dentium insertio docet. Figuram ejus videbis in Regenf. test. 2. cujus tabb. æneæ omnes nondum incisæ.

Formicam omnivoram solem quasi obnubilare ipse observavi in turre astronomico, ubi ingentem vidi catervam.

En Vir Generose! nova mea conamina circa minutissima quædam testacea etc. Plura hoc occasione Tibi offerre me vetat iter consulis jam festinantis. Alia huc adiit læta insectorum collectio Americana in museum nobilis cujusdam mercatoris Hafniensis, forte eam intra paucos dies videre mihi contigerit. Nova quæ sint, natura vel figura et descriptione, si possibile est, Tibi communicabo. Plura de meis brevi dabo. Quæ ad manus sunt mitto. Ejusmodi sunt seqq.¹⁾ Abiit Islandiam stipendio Regio Dnus König, ut vegetabilia et alia indagaret. Nonnulla misit ad regnum lapideum maxime pertinentia. Quæ in annexis observationibus meis descripsi testacea maris Norvegici, missa mihi sunt à Rev. Dno Ström, ut eorum ipsi communicarem descriptiones. Ignoscas Vir Generose! qui in descriptionibus sint commissi errores. Vale.

Dabam in domo Elersiana d. 3 Januarii 1765.

P. S. Abiit Consul Dnus Koustrup, qui scatulam C. v. L. notatam secum habet et Tibi prima occasione transmittere curabit. Epistolam hanc itaque Nuncio publico dare coactus sum
Vale.

[Med Brevet følge Diagnoser paa Fugle, Fiske, Bløddyr, Koraller og Insekter; ved, en Deel af de sidste hedder det: »In Museo Ryberg«, og mange af dem ere gjorte kjendelige ved Pennetegninger.]

¹⁾ Diagnoser paa nogle Insekter.